



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118626

§. 16. Reginæ consilium de pace ineunda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

Exceperat Wirtembergicus Dux Ras-^{Sæcul. XVI.}
calonem die quinta Martii, ubi vero ^{A.C. 1563.}
cum eo de rebus in datæ facultatis
diplomate contentis contulerat, qua-
tuor dierum spatium ad deliberandum
petiit, & tandem hæc respondit: „Re-
„gi, atque Reginae me obstrictum pro-
„fiteor, ac Francici Regni calamitates
„deploro, necnon pro ejus incolumitate
„ipemet assiduas ad Deum preces fun-
„dam, publicasque fieri curabo: cete-
„rum oblato, tantoque oneri me impa-
„rem experior, nec in Gallias, aut Re-
„gni fines proficisci valeo, prout tamen
„solicitor: existimo enim, quod Con-
„dæi Principis fautores nonnisi contra
„regionum edictorum transgressores ar-
„ma sumperint, ideo consultius Re-
„gina ad avertendam Dei iram ageret,
„si sua opera Dei cultum ab omni er-
„rore, ac superstitione purum in Fran-
„ciæ Regno restitueret, suisque subdi-
„tis offensionum, & anxietatum caus-
„as submoveret, edita fidei confessio-
„ne, quæ Augustanæ ad reddendam
„Germaniæ Ecclesiis pacem stabilitæ
„haud absimilis esset. „

§. XVI.

Reginæ consilium de pace ineunda.

Verum successu magis prospero ea-
dem Regina pacis negotium agita-
bat,
Hist. Eccles. Tom. XLVII.

Sæcul. XVI
A.C. 1563.

bat, quamvis illud nonnisi pluribus superatis difficultatibus tandem perfici potuerit; nam hanc in rem inter Condæum Principem, & Montmœrentium Connestabilem plura habebantur colloquia, hacque ex caussa Condæus ex sua custodia sub valido præsidio ad Regis castra, & postea ad Boum-Insulam prope Aureliam abducebatur, qui tranquille omnia excipiens tandem dicebat, nulli conditioni se assentiri posse, nisi prævie sponderetur, quod edictum in Mense Januario sancitum integra fide executioni dandum esset: verum huic propositioni Connestabilis vehementer sese opponebat, palam professus, quod ex hoc edicto veluti ex scaturigine omnia mala, quibus Francia affligeretur, pullulassent. Equidem Regina, cum pacem quovis pretio redimere satageret, hoc edictum restrictum iniquiebat, simulque consentiebat, ut Condæus Princeps Aureliam ingredi, ibidemque cum suæ factionis hominibus consultare posset: Itaque Princeps urbem ingressus mox cum Præconibus consilio habito eorum sententias rogabat, atque ex illis tres seligebat, qui scriptotenus responderent ad sequentes duas propositiones, quarum prima erat hæc: an ipse Condæus coram Regina profiteretur, quod arma, quæ nonnisi

non nisi pro exequendo Januarii edicto Sæcul. XVI.
A. C. 1563.
sumpsissent, ponere nolint, donec hoc
edictum rursus esset restauratum: alte-
ra autem inquirebatur, utrum Regina
id renunente, idem illam rogaret, ut
ipsamet proponeret ea, quæ pro Regni
utilitate ad sedandos tumultus, necnon
ad pacem Regno reddendam consul-
tiora judicaret, ut tandem malis, qui-
bus Francia affligeretur, finis impo-
natur.

§. XVII.

*Ministorum petitio de exequendo
Januarii edicto.*

Ex hoc Principis sermone Ministri
haud immerito colligebant, quod Beza hist.
Escl. tom. 2.
Thu. l. 34.
ipse pacem a se tantopere exoptatam
etiam abolitione edicti in Mense Janua-
rio promulgati redimere paratus esset,
hinc eidem in responsis hæc dabant:
„jus nobis ex Januarii edicto aquisitum
„missum facere haud possumus, & omni-
„no nisi manifeste religionem nostram
„evertere velimus, illud propugnare ob-
„stricti sumus: si vero Regina Franciæ
„Administratrix hac duntaxat condi-
„tione pacem procurare vult, tibi nil
„reliquum est, nisi ut colloquium dif-
„solvas. „ Pollicebatur Condæus, se
eorum consiliis aquieturum, interim
vero eosdem rogabat, ut convocato

N 2 Sena-